



Dr. LEOPOLDUS ZACHERL

DISSERTATIO

INAUGURALIS

MEDICO-PHARMACOLOGICA

DE

CAMPHORA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

MEDICO-PHARMACOLOGICA

DE

CAMPHORA.

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,

NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,

PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE
VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT
LEOPOLDUS ZACHERL,

GALICIANUS LEOPOLIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die IV. Augusti 1832.

VINDOBONAE.

TYPIS JOANNIS B. WALLISHAUSER.

01127 112110

0 1 4 0 7 0

AS DIRECTOR OF THE BUREAU OF REVENUE

WASHINGTON, D. C. 20548

INTERNAL SECURITY - [REDACTED]

TO: [REDACTED]

FROM: [REDACTED]

SUBJECT: [REDACTED]

DATE: [REDACTED]

CLASSIFICATION: [REDACTED]

CONTROL NUMBER: [REDACTED]

FILE NUMBER: [REDACTED]

APPROVED: [REDACTED]

SPECIAL AGENT IN CHARGE

INTERNAL SECURITY

CONFIDENTIAL

P A T R I O P T I M O



GRATISSIMUS FILIUS.

0 2 1 4 0 1 2 1 4 0



GRANTING LIBRARY

Est Camphora materia plantarum peculiaris, tum sponte effluens, tum inde educta. Ab Arabibus saeculo undecimo in usum medicum tracta; his Caphor vel Caphur, Graecis *καψουρα*, Germanis *Kamfer*, Polonis *Kamfora*, Gallis *le Camphre*, Italis *Camfora*, Anglis *the Camphire*, Hungaris *Kámfor* vel *Káfor*, Hispanis *Canfor* etc.

Camphora, quae nobis in usu est, a *Lau-ro Camphora* Lin. arbore, in Japoniae, insularumque vicinarum sylvis frequenti, nec non in Java et capite bonae spei crescente, reperitur; hinc inde in hypocaustis europaeis culta.

Quam *Laurus Sumatrensis*, in Sumatra et Borneo sponte exsudat, et quae in medulla arboris ac in ligni interstitiis ad nodos ramorum coacervata, colligitur; nativa, purissima, sub aeris accessu serius ac Japonica dissipanda, pretiosissima; nobis — describitur.

Tandem et aliae, tum exoticae, tum indigenae plantae, materiam Camphorae simillimam producunt; uti: *Laurus Cinamomum*, *Amomum Zeodaria*, *Piper caudatum*, *Alpinia Galanga*, *Choenanthus persicus*, *Unxia camphorata*, *Chenopodium Ambrosioides*, *Anemone pratensis*, *Rosmarinus*, *Salvia*, *Hysso-pus*, *Millefolium*, *Thymus*, *Lavandula*, *Majorana*, *Satureja*, *Mentha*, *Enula*, *Asarum*, *Acorus*, *Tanacetum* etc. etc.

Est etiam, dum oleum *Terebinthinae* in adparatu *Woulfiano* vaporibus acidi *muria-tici*, quousque absorbentur, exponunt; glebas secedentes purgant, et praemissa solutione in *alcobole fervido*, in massam crystallinam cogunt, albam, diaphanam, saporis aromatici, aqua qua vix solvitur levio-rem, calore sublimandam, *Camphoram redolentem*; *Camphora artificialis*.

Lauri Camphorae partes omnes, majori vero copia radix, *Camphoram* continent. Ex radice, ligno, ramis in partes minores conscissis, cum aqua pura in vesica ferrea vel cuprea, galea stramine repleta tecta, coctione *Camphora* expellitur, in galeam sublimanda.

Constat glebis exiguis grisescentibus, stramine, pilis, aliisque peregrinis inquinata;

haecque Camphora cruda, vasis ligneis vel si longius desideraret iter, vasis ex metallo Tutanego inclusa, in Asiam, Turciam, Europam transmittitur.

Quorum industriam Borax Veneta, Terebinthina Veneta etc. testantur, Veneti, olim hanc nobis Camphoram crudam in usum medicum purgarunt; serius in Belgia, nunc et Londini, Parisiis, Hafniae etc. etc. sublimatione, si impurior fuerit, et addita parva calcis vivae vel et carbonicae quantitate, arcana fors arte, Camphoram puram officinarum parant.

Haec nunc Camphora depurata materiam refert albam, teneram, crystallinam, adtactu subpinquem, cum fractura nitida subtenacem, odoris intensi nervos erigentis, proprii, saporis pungentis, deinde refrigerantis; ponderis specifici 0,989, forma crystallorum tessularis, Hexaedrum, Octaedrum etc. etc., corpori idoneo adtrita electrica fit, summe volatilis, in aere libero absque residuo dissipanda, temperatura ad 135° Reau. in olei speciem liquescit, serius bulliens, cujus halitus fragrantis, in vasis clausis sublimandi, flammae admota facile incenditur, flamma alba lucida, fuligo multa, cineres nulli.

Solvit aqua nonnisi minimam Campho-

rae partem, quam odor, sapor vel et Kali purum detegunt; in eadem vitelli ovi ope mucilaginis etc. suspenditur; oleis pinguibus et aethereis, aethere, alcohole, acido sulfurico, acetico et nitri fumanti, aqua adfusa Camphoram solutam eripit; cum resinis et balsamis unienda, sulfuri et phosphoro fusionē jungitur.

Solutionem Camphorae in acido nitrico concentrato reiterate destillando, obtinentur crystalli albae, nitidae, aciculares; acidum camphoricum.

Constat Camphora Carbonii 74,38, Oxygenii 14,61, hydrogenii 10,67. Azoti 0,34 partibus. Saussure.

Vespaee, muscae, pulices, culices, scorpiones, cimices, formicae, aranei, scarabei, in vitro cum frustulo Camphorae inclusae, post agitationes multas, subsequentem languorem, perierunt; citius quaedam, otius aliae. Passeres, columbae, coturnices, hirundines, gallinae, cuniculi, feles et oves, quibus Camphora per os largius ingesta fuit, graviter afficiebantur; quaedam temulenta evaserunt, alia in furorem conjecta; quibusdam ejulatus, spumam ante os, tremores vel et convulsiones excitavit; quin defuissent, qui restituerentur, vomitu, alvi fluxu aut urinae sponte nata.

Hominibus dosi nimia ingesta anxietatem, vertiginem, susurrum aurium, temulentiam, vomitum, haemorrhagias, animi deliquium, soporem, convulsiones, respirationem stertorosam induxit; quandoque et apoplexia lethalis evasit. Dosi moderata applicata transpirationis cutaneae augmentum, sanguinis turgor, cordis et vasorum sanguiferorum motus adauctus, pulsus frequentior, plenior; vitae sensiferae exaltatio provocatur.

Ex quibus omnibus Camphoram ad stimulantia volatilia, positiva referimus, systema nervosum praecipue sollicitantia, sanguiferum et cutaneum excitantia, humorum per vasa lymphatica motum accelerantia; spasmos solvit, vires erigit; antisepticum, quod dosi majori aut usu justo longiori debilitatem indirectam ex incitatione nimia efficit.

Camphorae igitur auxilium urget in morbis cum debilitate nervorum directa et indirecta; in iisdem systematis sanguiferi morbis; in morbis a transpiratione cutanea suppressa, a vita cutis alienata, torpida, praecipue dum effectus requiritur brevi tempore per magnas corporis provincias diffundendus. Externe adhibetur, ut vasorum capillarum functionem, secretionem et resorptionem impellat, nervorum vitam sollicitet.

Nec tantae virtutis medicamentum impune adhiberi poterit, morbo et aegro non adnuentibus. Vetant usum Camphorae: plethora sanguinis; rigiditas fibrae, spissitudo humorum, congestiones ad encephalon, pectus, aut alias partes nobiliores, infarctus viscerum, status eorundem irritativus, inflammatio genuina, crisis per urinarum aut alvi fluxum absolvenda; sint ceteroquin primae viae a sordibus liberae, nec alvus obstipa.

Adhibetur Camphora:

In feбри nervosa, putrida et typho contagioso princeps remedium sistit et unicum, si pulsus parvus, frequens, debilis, facies collapsa, cutis calor urens, aut sudor frigidus, situs neglectus, subsultus tendinum, delirium placidum, sopor;

Ubi febris crisis per cutem exspectatur, haec vero aut sicca calida, aut frigida sudans, viscida est; morbo ex feбри catarrhoso-rheumatica evolutio;

Ubi ob debilitatem systematis vasorum stimuli impatientem moschus non fertur.

Si character febris in putridum vergit, vel et inflammationes locales complicationem, constituentes, vel primum evolutae, caractere septico minantur: Erysipelas, Meningitis, Pleuritis, Enteritis, Peritoneitis, Metritis, etc. etc.

Petechiis et haemorrhagiis jam, cum reliqua symptomatum funestorum syndrome exortis, Camphorae confidemus;

Morbi ulterior evolutio primum Camphoram expostulat, nocet enim superstite adhuc vigore virium, pulsu forti, pleno.

Jungitur in casibus antea dictis cum cortice peruviano, radice *Serpentariae*, *Valerianae*, *Arnicae*, *Calami*, spiritu cornu cervi, aetheris nitrici, sulfurici, Moscho, liquore acido Halleri; etc. etc.

In feбри catarrhosa et rheumatica, ubi character morbi ereticus, transpirationem cutaneam per Camphoram restituendam, pro crisi salutare agnoscit; morbi durationem abbreviando. In individuis torpidis aut ubi in morbo rebellis reactionem inflammatoriam non timemus, in rheumatismo chronico. Jungitur nunc Camphora salinis, antimonialibus, stimulantibus aliis; in rheumatismo chronico cum *Aconito*, *Quajaco*, sulfure etc.

In morbis cutaneis cum actione vitali in cute depressa, alienata, quodsi defectus virium, spasmi, eruptionem exanthematis retardent; per causas easdem, aut refrigerium, exanthema in cute jam formatum, ex eadem evanuerit, ad partes internas conversum, ibique graviores organorum nobilium adfectiones molienti, Camphora opem quam citissimam pollicetur.

Usus Camphorae in variolis ac praeservativum infectionis a Medicis nonnullis commendatur; convenit in eruptione languente, variolis malignis, feбри socia nervosa aut putrida, praesertim suppurationis et exsiccationis periodo.

Morbilli et Scarlatina, Erysipelas dum evolutio tardat, vel invertitur; metastases internas periculosas provocat, feбри adynamicae junguntur; cujus Petechiae et Milliaria prospero cum successu Camphora debellantur.

In feбри inflammatoria et inflammationibus topicis, quibus venaesectionibus aliisque opportunis refrigerantibus fractis, pulsus parvus, acceleratus, contractus aut spasmodicus, cutis sicca urens, carnibus adstricta, caput obrutum, delirium placidum, febrim in adynamicam transire indicant.

In angina membranacea cum Ammonia Wolf; in encephalitide Pringle, connubium Camphorae cum mercurio laudat.

In omnibus morbis, in quibus nervorum motus vitales ex vera debilitate languent, aut in spasticos aberrant; in Epilepsia, Chorea St. Viti, Convulsionibus, Trismo, Tetano, Tussi convulsiva, Paralyti, Hydrophobia. In sensilitate adaucta organorum uropoeticorum: Satyriasi, Nymphomania, pollutionibus morborum.

Non minorem laudem Camphorae in Mania et Melancholia compescenda, Medici tribuunt. Sunt qui illi virtutem specificam in Mania tribuunt, sub insultu cum peni contracto, duro, anteriora versus incurvato, scroto corrugato, tremore digitorum cum singulari gyratione manuum interiora versus incedente, quorum amor vehemens, quin sexui satisfacissent supprimebatur.

Commendatur in stranguria praecipue illa, quam cantharidum acrimonia induxit, Melancholia, Mania, Epilepsia, tabe nervosa et dorsali a masturbatione ortis. In diabete cum gummi Kino Camphora juncta salutaris praedicatur.

In Odontalgia rheumatica saepe juvat aquam ore retinere, cui dum calida erat, Camphora indita fuit. In Hemicrania, doloribus aliis et partium immobilitate a rheumatismo, arthritide. In Cardialgia, colica haemorrhoidali Selle; saturnina Mohrenheim effectum Camphorae salutarem laudat. In Apoplexia serosa et nervosa, si ex retropulsione exanthematis aut impetiginis, rheumatis aut arthritidis nata, pulsu parvo, debili, vel et spastico, contracto, pallore cutis, frigore, facie collapsa, systematis centralis nervorum functionem laesam indicant, Camphora vel simul vel alternatim cum Arnica, Moscho, Ammonia — cujus vero

usus non conceditur indiciis congestionis sanguinis manifestae ad cerebrum praesentibus. In Amblyopia et Amaurosi imperfecta Camphoram cum Valeriana, Aconito, Pulsatilla, Belladonna etc.

In cachexiis, profluviis et retentionibus, etiamsi non primum in cura locum sibi viri licet aliis medicamentis data indicatione jungitur. Sic in Gonorrhoea tam recenti, quam protracta, in lue venerea salivationem praepediendo et minuendo. In tabe dorsali. In arthritide cum debilitate nervosa, habitu cachectico; ad dispellendos nodos arthriticos cum pulvere herbae Rhododendri Chrysanthi nexa. In morbo verminoso; a Medicis praecipue ascaridi lumbricoidi infensa visa, quem necat; per os et intestinum rectum ejiciendum.

In hydrope, ubi cutis functionem laesam sollicitare juvat. In ischuria, priapismo, mictu cruento a cantharidibus, in fluxu menstruo vel lochiorum a refrigeratione orto; ex vasorum sanguiferorum debilitate nato; in profluviis aliis indolis asthenicae, spasticae; in diarrhoea et dysenteria indolis rheumaticae; in iisdem putridis. In incommodis ex Scilla oriundis; doloribus Scilicet diris per corpus dispersis; imo convulsionibus in sensibilibus enatis, ex abusu aliorum medicamentorum diure-

ticorum causatis, mitigare vim drasticorum legimus;

Adhibetur tandem in Cholera Orientali Camphora, in- et externe; commendata ut remedium specificum a Clarissimo Hahnemanno, nec defuturum tempus et locum putamus, ubi hoc remedium efficacissimum in eadem adhibendi occasio urget.

Non minus externus remedii hujus prae-stantissimi usus fit, cujus quidem agendi ratio analogos quidem effectus, per substratum tamen et adplicationis locum modificatos et limitatos, ac quos adplicatio interna producit. Cutis et partes huic subjacentes, hic locorum exeuntes et terminantes effectum excitantem magis topicum experiuntur, in vitam eorundem vegetativam, animaleam et metamorphosim redundantem. Exerit virtutem stimulantem in vasa capillaria, textus cellulosi et lymphatica, resorptionem impellit, stagnantia solvit, dolores mitigat, putredinem arcet, et corrigit.

Adhibetur in erysipelate putrido, in rheumatismo chronico, forma fomenti sicci. In decubitu in aceto soluta, vitello ovi subacta etc. In sanandis, ulceribus pertinacibus oleo pingui solutam, in iisdem vero superficie impura, ichorosa aut sanguine nigro resoluto foeda, cui status, oeconomiae vitalis cachecticus, colliquati-

vus subest; pulvis inspergitur. In gangraena, remediis antisepticis et roborantibus aliis in subsidium vocatis, summam praestat. Camphora virtutem. A Friderico Hoffmano in variolis putridis commendatur, vitello ovi subacta lintheaminibus excepta, cuti adplicata. In ophthalmiis; et blepharophthalmiis chronicis, obnubilationibus Corneae, spasmo et ptosi, oedemate et emphysemate palpebrarum et aliarum partium, in tumoribus frigidis, indolentibus, in nodis mammarum lacteis, in pernioibus, veruccis etc. etc.

In adfectionibus topicis inflammatoriis chronicis, rheumaticis, arthricisque, in luxationibus et contusionibus cum effusione humorum in textum celluloseum, post sopita inflammationis symptomata, tandem et usu externo in adfectionibus organorum genitalium a cantharidibus, nimia eorum sensibilitate aut languore, in Meteorismo, colicis, et rheumatalsiis variis. In tinea rebeli, scabie, herpete Camphora in lacte suspensa pro lotionibus adhibetur.

Dosis Camphorae ab initio minor concedenda, nisi morbi vis et natura aliud urgeat; ut plurimum, tamen saepius repetenda, dum medicamentum hocce penetrantissimum citum quidem effectum praestat, citiusque evanidum. Chronici morbi in genere majorem, majorem

morbi genitalium Camphorae dosim sibi exposcunt, maximam mentis alienationes.

Dosis media a grano semis ad grana duo adscendit, pro indicatione repetenda, major ejusdem dosis a granis decem ad viginti, (utraque pro homine adulto) in summo inertiae statu, sensibilitati ad immum depressae convenit.

Forma pulveris pro interno Camphorae usu aptissima, in quam ob tenacitatem guttis aliquod alcoholis aut aetheris antea irrorata, cum sacharo conterritur, tum quia dosis singula eo accuratius definiri poterit, tum quia cum aliis medicamentis pulverulentis, medici indicationibus adnventibus, optime conjungitur, sic cum nitro, sale ammoniaco, calomelle, sulfure aurato, opio, chinina etc.

Forma pilularum minus quidem usitata, urget: medicamentorum cum eadem nexu indicato, quae fluidam formam recusant, nimis nauseosa, dum aeger hanc formam illi pulveris praeferret, praecipue in morbis chronicis, ob usum faciliorem. Pilulae ex Camphora cum amygdalis dulcibus, mucilagine, extractis etc. fiunt, aliis pro indicatione adjunctis.

Angli saepe Camphoram in formam boli cum conserva Cynosbatos et mucilagine redactam exhibent. In formam syrupi aut electua-

rii mucilagine, syrupo subacta, infantibus placet.

Mixtura et emulsum ope mucilaginis, vitelli ovi, mellis, cum amygdalis dulcibus aut aliis seminibus oleosis fit; forma praestantior pro usu interno et aliis medicamentis adjuvantibus excipiendis idonea.

Pro externo usu Camphora a scrupulo ad drachmas usque duas praescribitur, forma solutionis spirituosae, aut oleosae unguenti emplastri, pulveris, fomenti sicci, suffitus, clysmatis.

Praeparata quae pharmacopoea nostra praecipit cum et ex Camphora sunt

Spiritus Camphoratus.

Rp. Camphorae uncias duas.

Alcoholis 0,850 libram unam.

Digerantur ad perfectam solutionem et filtrata serventur in lagena vitrea bene clausa.

Acetum Aromaticum seu Antisepticum.

Rp. Herbarum siccatarum abrotani,

absinthii,

menthae crispae,

rosmarini,

rutae,

salviae, ana unciam

unam semis.

Florum siccatorem lavandulae uncias duas.

Radici8 acori.

angelicae,

enulae,

levistici,

Bulbi allii recentis, ana drachmas duas.

Aceti libras octo.

Macerentur in lagena vitrea bene clausa per tres dies :

Colaturae fortiter expressae et filtratae immittantur.

Camphorae, linteo inclusae, drachmae sex, et servetur in lagena vitrea bene clausa.

Lirimentum Saponato — Camphoratum s. Opo-
deldoc.

Rp. Saponis albi rasi uncias tres.

Alcoholis 0,850 libram unam.

Digerantur ad perfectam solutionem, cui filtratae addantur sub continua agitatione :

Olei destillati rosmarini uncia semis.

Ammoniae purae liquidae unciae duae.

Camphorae uncia semis.

Serventur in vase bene clauso.

Lapis Divinus.

Rp. Aeruginis.

Aluminis.

Nitri ana uncias tres.

In pulverem trita et mixta liquescant in vase murrhino aut porcellaneo. Refrigeratis et in pulverem tritis adde sub continua trituratione:

Camphorae drachmam unam et semis,
et servetur in vase bene clauso.



THESES.

Vel omnia vivunt, vel nulla, non datur in natura saltus.

In regno etiam minerali datur vita et mors relativa.

Habemus in Mechanica vectes, in Anatomia musculos; quousque illa Automaton non inveniet, haec non perspiciet organismum.

Pathologia morborum causas et fructus in humoribus potissimum quaerente, medicina firmioribus indicationibus satisfaciendis par fuit.

Transitus oppositionis vitalis in consensum, majus: ac consensus in oppositionem, periculum involvit.

Camphora est balsamum.

Lotiones frigidae in scarlatina graviori opem ferunt eminentem.

Urethritis ab infectione syphilitica non datur.

Cortex, radice Punice Granati efficacissimum taeniae expellendae pharmacum.